

# PANEGYRICVS.

AD STEPHANVM I. POLO  
NORVM REGEM ET MA-  
GNVM LITVANORVM  
DVCEM.

Christophori Vvarseuicij Equitis  
Poloni.

VILNAE.

Typis Illustris D. Domini Nicolai Christophori Radiuili  
Ducis in Olica & Nesulsi, Magni Ducatus  
Lituanix supremi Marsalci &c.

Per Dantelem Lancicium Anno D. 1580.

Georgij Cellinij.



SERENISSIME REX.

**O**btuli Maieſtati veſtræ in caeſiſ , orationes duas : ſed cū in hoc longo & permoleſto reditu , quod facerem eſſet nihil , hanc tertiam , ſive Panegyricum composui : atque ita abſolui , vt non tuam gratiam magis quaſiuiſſe me , quam veritari ſeruiſſe , inſicias iuerit nemo , Cum nihil curæ magis mihi fuerit , quàm vt Reipub: nomen , & rerum abs te geſtarum fama , literis & lucubrationibus noſtris , ad exteras etiam gentes , nationeſq; perferatur . Facile ego Sereniſſime Rex in hoc tuo communi beneficio conquieſco : quo tu patriam incolumem , & florentem , quo leges , quo libertatem intègram mihi præſtas : neq; temporis cauſa fingēdi mihi uſurpo licentiam , neq; vanis laudationibus fauorem tuum aucupari volo . Tuæ ( quæ ſumma ſemper fuit ) benignitatis eſt , omnibus velle bene facere : ſapientia , quid cuiuſq; virtus mereatur videre : conſtantia , id quod facturū te recipis præſtare & perficere . Vale & regna foelice Rex Sereniſſime . Vilnæ xv. Nouembris .

Anno D. LXXX.

Maieſtatis Veſtræ Regiæ.

Fidelis ſubditus & ſeruitor Vvarſauiicus.



96931



2

PANEGRICVS  
AD STEPHANVM PRIMVM  
POLONORVM REGEM POTEN-  
TISSIMVM.

CHRISTOPHORI VVARSA,  
VICII EQVITIS POLONI.



**I**N CREDIBLEM LETICIAM STE-  
phane Rex quam ex tot, tantisque rebus, præ-  
clare abs te, gestis omnes concipimus, vix ali-  
quis non dicam verbis ornare, sed ennarare  
potest. Neque enim solum calamitatem nobis  
detraxisti, verum etiam dignitatem auxisti, &  
nova insignia honoris, & adiuueta felicitatis comparasti. Quo  
nomine quantum debetur virtuti & fortunæ tuæ, vtinam  
mihi esset tantundem eloquentiæ. Quis enim dubitaret, & ad-  
miratione audientium, & voluptate legentium, & eorum qui  
commemorantur gratia, nullum mihi dari, posse maius argu-  
mentum præstantiusque dicendi. Sed ego quo tibi deberi plura  
video, & quo minus præstare possim, meum ipse recognosco,  
eo fugit & reformidat id magis animus, & in angustum me re-  
digitor oratio. Dicendum enim est, de summi & amplissimi re-  
gis laudibus. Dicendum de tot tantisque rebus gestis & victorijs  
ipsius, quas secuti difficile est explicare omnes, si nefas vel ali-  
quas preterire. Quo magis summo ingenio & eloquentia opus est,  
& nihil nisi eximium solertia, excultum diligentia, debet afferi:  
Verum dum temeritatis notam cuncti vitamus, ne ingrati animi  
A ij reprehens



reprehensionē potius incurramus audēdum aliquid esse puto,  
& præstare vt si minus disertī & sapientes, at saltem non ingrati  
videamur. Ac primum verba faciēda sunt, de causis belli, demū  
de progressu & cursu ipsius, & cum hostis in inferendis iniurijs  
libido animicq; impotentia, in omni turpitudinis genere incre-  
dibilis luxuria, tum vero summa æquitas in decernendo, con-  
siderata tarditas in suscipiēdo, admirabilis celeritas & fœlicitas  
tua in gerendo bello, & in victoria præclara moderatio & mā-  
suetudo summam est exponenda. Qua in re ita me Rex ge-  
ram, ne aut veram detraxisse, aut falsam affixisse laudem tibi vi-  
dear, & ad accusandum eum hostem descendisse, studio aliquo  
maledicendi vel calumniandi. Quanquam quod facere alicui  
videtur non turpe, id mihi factum ab eo referre, cur si turpissī-  
mum, & si in mortuorū laudationibus, nisi simul cū virtutibus  
notentur & vitia, suspecta est omnis oratio in commemorādis  
viviis id fieri (vt mea fert opinio) quanto magis debet, par-  
tim vt à turpitudine ad honestatem, ab inhonorata & ingloria  
vita, ad decus & gloriam auocentur; partim ne cum laruis tantū  
certare & viuorum vitia dissimulare potius videamur, nisi for-  
te metus nos impediāt aliquis. qui tamen ingenuis & in libertate  
hominibus natis nec mētē opprimere, neq; linguam obstrin-  
gere debet, quo minus velint rebus sua nomina dare, & vt ille  
inquit Scapham Scapham appellare. Nemini ergo est dubiū  
hoc bellum contra Moschum tuum, voluntate ferum, necessi-  
tate iustum, beneficio erga Rempu. gratum, fama gloriosum  
exitu maximè vtile & salutare extitisse. Et enim cum omnia bel-  
la, quæ pro aris & focis, pro patria, pro tuendis finibus, pro cō-  
seruandis libertatibus suscipiuntur & geruntur, iusta sunt, tum  
contra Moschum iustissima, qui non princeps sed tyrānus, nō  
homo, sed bellua, ex fœditissimorum flagitiorum colluione  
conflata, potius diceretur. Legimus olim veteres, inter deos lo-  
cum nō aliunde Herculi tribuisse, nisi qđ cōtra Diomedē Regē  
Thracū, qui carnibus hospitū, equos pascebat, arma sūperat,  
& in



& in frustra dissectū patibulo affixerat. Legimus Phylātū non alia de causa celebrari, nisi quod Dryopum Regem Apollinis Delphici phanum violare ausum regno exuerat, illudq; incolēdum Meliteñ: prebuerat, legimus deniq; quos honores, quos hīmnos, quos cantus, quas & quales statuas, ijs qui tyrannos occiderant homines Græci tribuere consueuerant, vt extaret ad memoriam posteritatis ara virtutis. At enim Ioanne Basilij, de Magno Moschorū duce, quis vnquā immanior fuit aut esse potuit? Plures ille homines manu sua interfecit, quā alij iusserunt, plura genera mortis alijs attulit, quā ōnes Tyranni excogitauerunt. Non Dyonisius, non Claudianus, non Nero, nō Caligula, non omnes ij quorū aliquando nobilitata, est crudelitas non dicam superiores, sed pares isti fuerunt. Nam quid ego immanitatem, Quid ferociam, Quid libidines, Quid stupra, Quid scelera & flagitia ipsius omnia commemorem? Quis ita se & fortunas suas abdidit, Quis domum clausit, Quis vitam obsepuit, Quis pudicitiam permuniuit, vt ab istius portenti vi & rabie tuta maneret? Quæ vnquam fuit, est, aut erit, bar baria quā nō istius deterrima crudelitas superaret? Et erit qui dubitet ad hunc tantum & tam inauditum tyrannum, suæ parricidam patriæ, hostē ipsius naturæ, expertem omnis humanitatis prædonem alieni iuris, vindicandum datum & destinatum diuinitus te fuisse. A quo tot & tantis iniurijs & contumelijs prouocatus, quanta moderatione & patientia fueris vsus, quanquā omnibus cognitum & perspectum est, tamen & ego id tacitus præterire nullo modo possum. Summam enim studium, summa fuit cōtra & sollicitudo tua, vt omnia prius quam armis cum eo experire, & vt intentatum nihil relinquere viderere, quod ad christiani sanguinis profusionem vitandam, & ad pacem concordiamq; ex æquo cum eo constituendam, pertineret. Huc tui tocies ad eū missi internuncij, huc literæ, huc legationes, huc mandata legatis data, huc postulata semper tendebāt. Quibus rebus omnibus profectum est apud eum nihil, & tantum

A iij

absit



abfuit vt ſuperbus & crudelis hoſtis, ea moderatione animi &  
poſtulatorum tuorum æquitate, a libidine ad pudorem, ab au-  
dacia ad timorem, ab amentia, ad rationem auocaretur, quod  
etiam illa ipſa inflammari libidine, ardere amentia, efferri ſu-  
perbia, tanto magis cœpit, & ea quæ ad pacem & mutuam ſub-  
iectorum tràquillitatē vergere iam cœperant turpiter nefarieq;  
violauit. Nā vt illa quæ Sigismūdi Auguſti tēporibus fecit ſilē-  
cio pratereā, vt inſidioſæ pacis iniecta ſpe Polociā occupatā, vt  
legatos regis & Reipub. nomine ad eū miſſos, viros graues &  
præſtantes indigniſſimè tractatos, vt Pernauiam ſub Henrico  
Rege, ab eo captam, non cōmemorem, enimuero ignoratur  
quā crudelis & perfidus hoſtis Moſchus erga te fuerit. Cum e-  
nim legatis tuis, ad ſe veniēdi poteſtatem feciſſet, ſecuritatēq;  
promiſſet, repente vt Pruſicis tumultibus, ſedandis occupari  
& longius abeſſe te intellexit. An Liuoniam prouinciam, ſepi-  
mentum Lituanix, ſociam Reipub. antiquæ pietatis veſtigium  
Balthici maris, præſidium non inuaſit, & crudeliſſimè diripuit.  
Eſt autem Liuonia nō (vt ipſe ait) ipſius hæreditaria, ſed Mario-  
anorum militum, theutonici ordinis vetus domicilium, quā-  
tate annos quatuor & viginti inter Guihelmum Furſtembergi-  
um ordinis illius Principem & inter Guihelmum Marchionem  
Brandenburgicū, & Rigēſe Archiepiſcopum, bello & diſſen-  
ſione orta, cū religione & libertatem ſimul amiſit. Siquidem per-  
fidiam & leuitatem ſemper manet pœna, & mutatio religionis  
ſtatum cōmutat libertatis. Quod quomodo euenerit pau-  
lo altius repetere me, & auram clementiæ ac benignitatis tuæ,  
ad hunc demiſſum orationis meæ curſum, in altum pro ve-  
hendum, implorare oportebit. Erat Liuonia, in duas di-  
uiſas partes, quarum altera magiſtratu eccleſiaſtico, hoc autē  
eſt Archiepiſcopo Rigēſi, & quatuor alijs Epicoſis Magiſtro  
theutonici, ordinis altera ſubiacebat. Itaq; cū antea ſemper cru-  
ciſerorum Magiſtri, Archiepiſcoporum Rigēſium, quibus cū  
Rigam



4

Rigā primariam Liuoniæ ciuitatē, imperio tenebant; & om̄nium adeo ecclesiarum patrimonio inhiarent, tum verò Furstē bergitis, Gulhelmum Archiepiscopum in arce Cocēhausen aperta vi inuasit, & capti in fecit: Qui quoniam Sigismundi Augusti Regis Poloniæ & Magni Ducis Lituaniæ consobrinus fuerat, & Rigensium Archiepiscoporum patrocinium ad Magnos Lituaniæ Duces, more maiorum pertinebat, missus est Gasparus Lancius à Rege internuncius eo nomine in Liuoniam. Quē cum Liuones occidissent, bellum est contra eos motum, & florentissimus exercitus ab ipso Sigismundo Augusto ductus in expeditionem. Cui cum se impares viribus & potētia Liuones animaduertissent, pacem repēte petere, supplicesq; fieri omnes ei nō dubitauerunt. Quam facile interponente se pro ijs ferdinando Cæsare, ad Pozuolum obtinuerunt. Huius verò expeditionis contra Liuones exitum, Magnus Moschouia Dux, apud se admiratus, & eadē se præstare posse cōtra Liuones ratus. Derpatēibus, tanquam vicinioribus maiorum suorum ius, in hac parte causatus, pecuniā imperat, & nisi ea vel quamprimum ab ijs solueretur, cunctiæ Liuoniæ bellum & exitium denunciat. Fit ea de re inter Liuones consultatio, communicantur consilia, dimittuntur in Moschouiam legati. Qui cum inicio ( vt ferunt ) pecuniam se attulisse affirmassent, demū vero ad rem cum esset ventum, eam non reposuissent, barbarus & immanis hostis, tanto magis irritatus, legatis redire iussis, cū centum & triginta hominum milibus eos insecutus est, ac subitam in Liuoniam irruptionem fecit, vsq; adeo, vt mox Vissemburgam & Naruam. Deinde vero Derpatum, à cuius ciuitatis Episcopo in spem futuræ gratiæ adiutus fuisse dicitur, eadē & Marienburgam occuparet, & incredibilem captiuorum numerum, in Moschouiam secum abduceret. Sic Liuones magnam cladem & vastitatem à Moschopassi, & in rerum suarum desperationem pene adducti, ad Ferdinandum Cæsare & ante & tum cum post inaugurationem suam Francforti Augustæ



gustæ commicia celebraret, legatos mittunt, & tam ab eo quã  
a cunctis Romani imperij ordinibus auxilium efflagitant, & ni  
sicellerrime auxilium eis feratur, sub iugum barbari & crudelis  
hostis se necessario ituros esse, nec aliter facere posse testantur,  
Neq; verò imperatorem tantum, sed & Daniæ & Suetiæ reges  
& multos alios principes eo nomine adeunt & implorant. Sed  
raro fit, vt ij qui sua commoda & rationes spectant, alienis dif  
ficultatibus & periculis subueniant. Qua propter desperatis  
omnium auxilijs ad Sigismundum Augustum Poloniæ Regē,  
postremo Liuones confugiunt, apud quem cum semel & iterū  
corā, per legatos quã sapissime, auxilium postulassent, cumq;  
& propter Lituaniæ vicinum malum atq; incendium, & pro  
pter regis ipsius gloriam & amplitudinem, eam Lituoniæ pro  
uinciæ tutelam vtilem & necessariam ei esse semperq; fore do  
cuissent, tandem in fidē & clientelā recipiuntur, certis pactis &  
conditionibus, Lituonibus quidem ipsis, quam Rei aut Reipu.  
commodioribus. Quæ durarunt certo temporis spatio, &  
Liuones variā & instabilē fortunam experti sūt, mutationemq;  
rerum suarum grauissimam pertulerunt. At verò Sigismun  
dus Augustus Rex, cum per ānos aliquot, Maximis sumptibus  
Lituoniam defendisset, & Ericum eius nominis quartumdecim  
mum Suetiæ Regem, præter omnem expectationem, arma  
contra Liuones cœpisse, & hostes deniq; alios eius provinciæ  
auctos esse cognouisset, pactis prioribus stare nec posse, necq;  
debere se duxit. Sed Nicolaū Radiuillum in Olica & Niesuius  
Ducem, ac Palatinum Vilnen, sūmæ auctoritatis & amplitudi  
nis virum, ad Liuones ea de causa ablegauit. Qui in re tãti mo  
menti præstare cū nihil posset, illud quidem impetrauit, vt Guil  
helmus Archiepiscopus & Gotthardus Cethlerus Magister  
quē ætate ingrauescente Furstēbergius non ita multo post à  
Moscho captus, ibidemq; mortuus, in locum suū suffecerat, ad  
Regem se venturos esse Vilnam reciperent, & cū Palatini Vil  
nen; auctoritate, tum vero arce Terues Munitissima & Litu  
nibus



nibus infestissima à Nicolao Radiuilo tum Troceti: nunc Vilna  
 nēsi Palatino, sub Moscho expugnata ad eam rem magis ad  
 ducerentur. His ergo Vilnam aduenientibus, cum post Iona  
 gas & multiplices disceptationes, euidentissimis rationibus de  
 claratum fuisset, nisi communibus tam Polonorum, quam Li  
 tuanorum viribus Liuania defensio susciperetur, à tot tanto  
 rumq; hostium rabie & interitu non posse eam prohiberi.  
 Polonorum verò auxilia, nisi deditioe, non Liuania tantū,  
 verumetiam Polonia facta adduci non posse. Tandem ad ex  
 tremum, cum perditis Liuonum rebus nemo succurreret, & vt  
 fortuna suæ præsidia aliunde quærerent, cum tam Cæsar ipse,  
 quàm imperium non obscure annueret, Polonia Liuaniaq;  
 pariter deditioem fecerunt, & ea pacta conuenta, Grodnæ  
 primum, deinde verò & Lublini, in maximis totius regni co  
 mitijs, quibus Liuania cū Polonia est vnita, per legatos suos iu  
 re iurando sanxerunt & confirmauerunt. Ad eum modū magi  
 stri Liuaniae statū, in Ducis Curlandiæ permutato, huic regno  
 adhæsit, & est associata Liuania, quæ Deo Opt: Max: sic permit  
 tēte, non secus, ac sedes quædā belli & dissidiorū facta, graues  
 subinde & varios motus, multiplicescq; dominatus experta est,  
 & pecunias quàm maximas exorbuit, & immensis laboribus  
 ac periculis regi & defendi necesse habuit. Quoad tu Stepha  
 ne Rex in regē eligerere. Quem vt supra dixi Prussicis, tumulti  
 bus sedandis occupatum, cum Moschus animaduertisset, Lio  
 niā quā spe & cupiditate iam pridem deuorauerat, aperta vi &  
 crudelitate, inuadere non dubitauit. Atq; id quidem eò fecit, li  
 bentiùs quò certis authoribus Germanici magistratus spe & ex  
 pectatione iniecta, multos ad defectionem, & res nouas spe  
 ctare in Liuania intellexit. Fit enim, vt homines spe fallaci & o  
 pinione ducti, sæpe melioribus noua imperia anteponāt. Verū  
 posteaquam Moschus grassari in Liuania cœpit, & nihil minùs  
 quàm de Germanico magistratu constituendo cogitare, imò  
 etiam odio Germani nominis flagrare, & in sanguine totiusq;

B

Liuania



Litonia cinere exultare Lituones sanè facti Mox pœnituit.  
At vero hostis nihil prius habuit, quam ut sine ulla  
sexus, ætatis, & conditionis differentia, tot hominum millia, im-  
mansissimè trucidaret, & in auditam crudelitatem atq; tyrannidē  
suam in Litonia passim & ubiq; exerceret. Iam vero legatis  
tuis ad eum venientibus, quam superbus, quam contumax fu-  
erit, quam multa arroganter de se, quam leuiter de alijs coram  
eis dixerit, longum esset commemorare. Principio genus su-  
um explicare est orsus, & a Prusso quodam nunquam alias le-  
cto vel audito, quem octauij Cæsaris fratrem, & se ab eo  
progeniem quartamdecimam dixit esse originem suam deriva-  
uit. Quem cum in Prussia & in Litonia ciuitates multas exædi-  
ficasse affirmasset, in aliquot huius Reipub. prouincias ius se  
habere asseruit. Neque verò hac & tanta verborum vanitate  
contectus fuit, verum etiã apertam vim & crudelitatem statim ad-  
hibuit. Nam cum legati tui in ijs pacificationis literis, quas  
Moscho dederant, nullam mentionem Litoniæ facerent, to-  
tam Litoniam & Curlandiam vsq; ad fines Prusiæ, sibi reddi  
confestim ille postulauit, & nō ad similitudinem literarū legato-  
rum tuorum, sed ad arbitrium suum perscriptas literas super-  
be & minaciter eis obstrulit, tandē vero legationem, qua illas  
pactas, ne dicam coactas formulas, infirmare, quam confir-  
mare, potius voluerat, in Poloniam amandauit. At enim nihil  
inconsideratiùs committitur nihil periculosius suscipitur, nihil  
difficilius peragitur, quam legatio. Cum enim legati Moschi,  
legationem exponere suam secus nollent, nisi detecto capite,  
& in pedes erectus, de tyranni ualitudine, tu prius interroga-  
res, postq; id negatū, & legationē ut exponerēt suā imperatum  
eis fuisset, ira perciti, & indignati, nō modo nō pfecta, sed ne quē  
affecta legatione Cracouia exire, & ad Moschum se se referre  
maluerunt. Qui immisso in Litoniam exercitu, Vendenam  
principum Theutonici ordinis olim domicilium, præter tuam  
& omnium opinionem oppugnabat. Quod cum per insignē  
facere



6  
faceret iniuriam; effectum est, prapotentis Dei ope & benignitate, & tua, tuorumq; ducum foelicitate Rex, vt ille, exercitus ipsius tam magnus, paruis à tuis copijs, Sueticisq; auxilijs cõiunctis, Andrea Sapiha, nobili & egregio duce, profligaretur, & amplius viginti, tormenta bellica prægrandia, & admirabilis artificij, tuam in potestatem peruenirent. Ita tu demum, cum bello vniuersa arderet Liuania, & de quiete sua sollicita esset Lituania, consumptis tot studijs & laboribus tuis, quæ cum Magno Moschouia ducè in constituenda pacè frustra susceperas: habito Grodnæ conuentu, & amplissimis Lituuanorum auxilijs imperatis, non tua tuorumq; tecta, contra eum amplius defendere, sed armis hostem aggredi apud te constituisti, cum iam illud bellum, omnibus omnium ordinum sententijs, VVarfauiensib; comitijs ante decretum, & grandi tributo imperato, ad dexteras etiam gentes & nationes perlatum fuisset. Quod antequam gereres, Venceslaum Lopatinscum cum literis, quibus causas & rationes suscepti contra Moschum belli explicabas, in Moschouiam ad eum dimisisti. Demum vero grauem & maturam consulationem cum Senatu alijsq; militaribus viris inire placuit: quoniam armorum tuorum vim conuertere potissimum deberes. Quo loco, multa te in vtramq; partem versare animo, & mentis oculis collustrare oportuit: vt ea, quæ contra cum hostem eras gesturus, non tam impetu & fortuna, quam consilio & prudentia, gessisse magis viderere. Est enim patefacto aditu & vestibulo, felicior res dimidio, & bella geruntur armis & consilio. Erat fateor non nemo, qui relictis arcium & munitionum oppugnationibus, in ipsa veluti penetrabilia hostilis ditionis proficisci, operæ precium iudicabat: propterea quod exercitui tuo à prælij & dimicationis fortuna, quam ille vitaret, periculum esset nullum: & cum omnis bellorum gerendorum ratio, progressum habaret arduum, tum verò arces & munitiones capere esset, fuissetq; semper difficilimum, adeoq; Polonis & Lituanis



maximè quorum non perequè in expugnandis munitionibus, quam in vincendis praelio hostibus, aliàs viguisset industria: & deniq; quòd ijs, qui nouis imperijs studerent, eumq; tyrannum in medio tolli imprimis cuperent, aduentantis exercitus fama, animũ & quasi animam præbitum iri videretur. Polocia vero, quæ oppugnanda ante alias arces se se offerret, manu & natura munitionissima, & omni apparatu belli instructissima, vel diuturnam obsidionem ferre posset. Atq; hæc quidem, cum essent per se magna, tum illud longè maius atq; grauius: quòd Polocia Magno Ducatui Lituaniæ atq; adedò ipsi Vilnæ, nulla alia firmiore munitione interiecta, periculosissimè impenderet, ex qua, dũ in alijs remotioribus regni partibus, versaris, non modo affligendæ Lituaniæ, verumetiam diripiendæ Vilnæ, potestatem esset hostis habiturus. Et cum non modò rerum recuperandarum, communis Reipub: causa, sed quo ad eius fieri longissimè posset, remouendi hostis gratia, bellum illud susciperetur, haud abs re videbatur forè expeditionibus bellicis, propinquire sed de aliquã & quasi officinã cõparare, ex qua integri & recentes milites, in hostile solũ pœnitus ducerentur, & instrumẽta impedimentaq; belli, ad res cũ maiori celeritate & fœlicitate gerenda transportarentur. Postremò Polocia (qua munitionem arcem hostis nõ haberet) expugnata, Moschos, de alijs retinẽdis diffidere, tuos verò spem concipere oportere: tantumq; abesse, vt id, quod locus ille permunitus diceretur, tibi tuiscq; deberet adedò terrori esse, vt etiam in primis, in tanto militum ardore, oppugnandus videretur, & vel hæc reliqua gloria capiendarum expugnandarumq; arcium, Polono & Lituanõ nomini, duce & auspice te, adiungenda: præsertim cum munitiones à tergo relinquere, nullis vnquam bellis gestis, fuerit obseruarum, & comœatu, milite, auxilijs, receptu denique ipso vltro se excludere, admodum sit inconsultum. Hæc cum vixisset sententia, extrema Iulij die, Vilna, Suirum est itum, ad lustrandas percensendasq; copias: Deinde per Hlubokie & Po-

stau



7  
stauit; DZisnam, ac demum & Polociam. Quo itinere, quantam & quam incredibilem difficultatem; quantam viarum asperitatem, expertus sis; quantum incommodorum molestiarumque pertuleris, non facile dicendo explicari potest, & prope rat mea ad ipsam oppugnationem oratio, quæ qualis & quam ardua fuerit, vix alicui, qui rem oculis non subiecit, esset credibile. Fuit certè talis, vt & propter defensorum fortitudinem; & propter loci naturam; & propter artem apparatusque belli, & propter iniurias ac tempestates ipsius cœli, cum difficilissimis arcum oppugnationibus, possit non immeritò comparari. Etenim cum aliàs semper, tum eò maximè tempore, palam omnibus fieri Deus Opt: Max: voluit, & ab eo cunctas peti, & ad eum solum referri debere, victorias. Ac per multos continuos dies, tantum pluuiarum cœlitus demisit, vt & militum operæ impediri, & ducum industria languescere, & vis ipsa parum aut nihil proficere videretur. Eo accedebat summa præsidiariorum, cum incredibili mortis contemptu, in defendenda arce obstinatio, vsque, vt non manifesti interitus metus, ad aliquam vel minimam animi cōsternationem, non sublata auxiliorum spes, ad desperationem, non denique regie clementiæ, & mansuetudinis fiducia, ad deditionem eos adduceret. Cōstabat exercitus tuus, ex tribus quattuorue nationibus, eratque & viris, & armis, & equis, & omni apparatu ornatusque belli instructissimus. Est autem opinio, quò inter se plures nationes coeunt, eò virtutis æmulationem, in eis magis excitari. Sed & Polonorum virtus, & Lituānorum celeritas, & Vngarorum audacia; & Germanorum constantia; sui dissimiles fieri, iam quodammodo exarant, & cum hostium peruicacia: tum tempestatum iniuria, expugnandæ arcis rationes omnes maximè retardabat. Quibus in angustijs angoribusque animi, cum diu multumque esset versatus, tandem Augusti dies nona & vigesima, simul cum serenitate, inicitia etiam attulit victoriæ: non magna ad eò christiani sanguinis profusione, & exiguo tuorum



interitu partæ summa vero moderationis tuæ laude & admirā  
tione: quæ talis atq; tanta fuerat, quod hostis ipſius præfecti,  
& per quam plurimi milites, tua vexilla ſequi, & tuæ dextræ,  
non modo in prælijs, verumetiam in ſeruandis promiſſis, fir  
miſſimæ ſe committere non dubitauerunt. Erat porro eiſdē  
hoſtis vicina Polociæ arx, Socolū nuncupata, cui præter ve  
tus præſidium ei arci impoſitum, inerant ſex millia militum, ex  
ipſis prætorianis magni ducis, ſelectiſſimorum. Hanc tu, ſi  
non expugnatam relinqueres, nec ex belli ſuſcepti conſilio,  
neq; ex dignitate tua, neq; ex rei abs te geſtæ fortuna, futu  
rum iudicauisti. Itaq; miſſo ad eam Nicolao Mielecio podolici  
Palatino, & ſummo copiarum Polonicarum præfecto, viro  
præſtanti virtute, ingenio & foelicitate prædito, tam cito tamq;  
facile in poteſtatem tuam, eam redegiſti, vt arx incendio ſubito  
orto conflagraſſe, hoſtium vltra quatuor millia caſa fuiſſe, v  
na die memorentur. Iam interea Sythno, Craſno, & Turou  
lia, hoſtiles munitiones tres, tuis à militibus occupatæ erant.  
Iam Philo Cmite Capitaneus Orſchanen: in magni ducis Mo  
ſchouici ditioes, longius excurrerat, & duobus millibus hoſti  
lium pagorum incenſis, Smolenſeſq; ſuburbijſ ambuſtis, to  
tam illam regionem, qua qua verſus depopulatus fuerat. Iam  
Constantinus Oſtrogiæ dux, cum Michaelē Viſnieuicio, Bra  
czlauien: Caſtelano, & Ianuſio filio, Boryſtenem tranſgreſſus  
& in hoſtilem ditioem turmis Tartarorum aliquot miſſis, lō  
ge atq; latē omnia peruaſerat, & vſq; ad Starodubum, Rado  
hoſtiam, & Podczepouiam, populationibus prolatis, ingenti  
cum præda domum redierat. Iam deniq; armorum tuorum,  
non dicam fama, ſed terror vniuerſam Moſchouiam ſic perua  
ſerat, vt non ex rumore bellum, ſed ex clade nunciū, Moſchus  
expectaret. Reſtabat Suſſa, quæ quoniam in medio captarum  
erat poſita, eam quoque breui eſſe futuram tuam, haud vana  
coniectura prædixiſti, cuiusq; deditione poſeſſe, nuntium, Vilnā  
antequam atigiſſes accepisti. Ad eum modum hoſtilibus arci  
bus ſex



bus sex occupatis ; nec multo post duabus etiã alijs Nieszer  
 da , & Coziani captis , & multis hostium millibus occisis , nec  
 adeo multis ex tuis desiderijs , cum anni tempus , alienum à  
 gerendo bello te excluderet , Vilnam es reuersus , & bello ,  
 quod media hyeme apparatus , ineunte æstate susceptum , ex  
 acta confectum , dici potest , tuis te amabilem , hostibus formi  
 dabilem , exteris gentibus nationibusq; admirabilem reddidi  
 sti . Erat tum , cum hæc gereres Magnus Dux , ad Plefcouiam  
 quæ olim libera , sub imperium nunc eius cecidit , & arcium op  
 pugnacionem , militumq; suorum cædam à longe audiebat : &  
 vt Tyranni natura superbi , & timidi sunt , vtq; in prospera for  
 tuna superbos & contumaces , in aduersa humiles & abiectos  
 se adeo præstant , cum Lopatinscium internuncium tuum , ini  
 tio arctius deuinisset , capta demum Polocia , ad se eum accer  
 sitit , & humanius multo habuit . Tandem verò consiliarios  
 suos ( si conciliarij & non mancipia ipsius dici potius debent )  
 ad senatores tuos , per Lopatinscium mittere literas voluit , qui  
 bus illi , vt ad pacem & cõcordiam hortarẽtur te , impensissimè  
 flagitabant . Quorum tu postulaus intellectis , ad comitia , quæ  
 iam pridem indixeras Vvarsauam profectus es , & interim  
 dum iter facis , Grodneq; subistis , Gasparum Bekeschium  
 ex maximo & diuturno labore , quem in expugnanda Polocia  
 susceperat , repentino morbo correptum , virum admirabili in  
 genio , & rerum vsu præstantem amisisti . At vero Vvarscha  
 niam postquam esset ventum , & res in deliberationem posita ,  
 vtrum bellum prosequi , an secus præstaret : mirum est , quàm  
 variæ & multiplices sententiæ , non modo ordinum , sed homi  
 num fuerint . Docebat nomine tuo . Ioannes Zamoscius . re  
 gni cancellarius , quid ea victoria fructus ? quid gloriæ ? quid  
 emolumenti Reipub: attulisset ; & quo est ingenio , facultateq;  
 dicendi , ad prosequendum eum felicitatis & laudis commu  
 nis cursum , vniuersos hortabatur . Moschum eum esse , qui  
 Cazonios & Astracanos Tartaros sub imperium suum subie  
 gasset



gasset. Qui Selimi Turcarum imperatoris per magnam exerci-  
tium decennio ante, aut paulo amplius, dissipasset. Qui Sue-  
cos, qui Liuones, qui Tartaros, sapius fugasset atq; proffi-  
gasset. Hæc omnia ornamenta illi esse adempta, & nobis haud  
dubiè restituta: simulq; & expugnandarum arcium, qua antea  
carebamus, gloriam, vel hac sola expeditione comparatam.  
Polociã totius propugnaculum Lituaniã, matrem negotiato-  
rum, receptaculum fortissimorum militum, patriam fidelissi-  
morum ciuium, perfido hosti ereptam, & in pristinam posi-  
tam libertatem. Sed est huius seculi labes quædam, & veluti  
macula, vt præsentibus nequaquam faciari, & semper re-  
quirere aliquid, siue req; nouitates homines magis videantur.  
Sic enim præclare abs te gestis & confectis rebus, aderat ni-  
hilominus inuidia, comes fortunæ, & virtutis perpetua: multiq;  
vt à bello delisteretur, & pax atq; tranquillitas Reipub: potius  
restitueretur, non tam ipsius causa Reipub: quam priuata  
nescio qua cupiditate ducti videri volebant auctores. Rem cū  
eo hoste aiebāt esse, qui in vastis & remotissimis regionibus ha-  
bitaret, & prælij ac dimicationis fortunam nunquam esset ex-  
perturus, & bellum trahendo, aduentitium exercitum facile  
victurus, & in angustias redacturus. Fortunam vagam esse  
volubilemq; deam, quam, ne sedes mutet reuerenter habere,  
& pressis manibus tenere oportere. Multorum principum  
casum ad misericordiam, & ferendam illis opem excitasse quã  
plurimos. & vnam esse victis ad salutem viam, omnem spem  
salutis & incolumitatis amittere, & in armis atq; dextris eam  
collocare, neq; temerè à prudentissimis bellatoribus, fugienti  
hosti aureum pontem sternendum esse sermonibus vsurpari.  
Postremo in tanta caritate annonæ, sterilitateq; agrorum, bellū  
sustineri amplius non posse, & in aliud tempus magis oportu-  
num differri potius debere, ne dum aliena quarimus, nos-  
tra exinanire & pessundare videamur. Lituania & Russia,  
nihil esse miserius, quæ à viginti amplius continuis annis, tot  
bellorū



bellorum calamitates pertulisset. Sufficere hostem esse longius reiectum, & ut timeat nihilq; in posterum eiusmodi audeat coercitum. Belli immensum esse pabulum, & eius neruo pecunia, hostem magis abundare. Summam subditorum illius obediendi promptitudinem esse, eos deniq; arces & munitiones, præ omnibus alijs gentibus, & nationibus, fortiter tueri & defendere consueuisse, nec aliquid esse sperandum minus, quàm ut proditorum & transfugarum opera, in hoc bello adiumentur: propterea quòd ut non diuturnus esset magister officij metus: ita coniugum & liberorum carissima pignora: quæ omnium subiectorum ipsius, cum vel minima belli suspicio increbuit, in Tyranni manu restricta & inclusa tenerentur. Atq; hæc quidem eorum, quibus aut non geri, aut differre bellum placebat, sententia opinioq; fuerat. Verumenimvero maior & potior hominum pars, ijs argumentis & rationibus, ad suadendum bellum, & persequendam victoriam ducebatur. Primum, quòd veteri maiorum suorum exemplo & instituto, Magnus Moschouia dux, cum Polonia regibus, per magna verborum & fidei vanitate, perpetuò laboraret, nec aliquid, nisi coactus faceret: & promissis suis credi facile non debere, plurimis & euidentissimis rationibus, iam pridem demonstrasset, Hic inducias eas quas postularet, non aliò pertinere, nisi ut arcibus & munitionibus suis, ad omnem obsidionis vim erectis & confirmatis, demum in longioribus regni partibus, occupato Rege, Liuoniam diripiat, & arcibus ciuitatibusq; quas in ea habet, securè potiatur: Liuonibus verò socijs & clientibus Reipub: deesse, qui fidem & auxilium nostrum perpetuò implorarent, videri indignissimum, simul & periculosissimum. Si quidem vna alteram inuitaret iniuria: & cum incommodis ijs quæ facta sunt, tum verò illis, quæ inferi ei possunt, prudens quisq; & cordatus homo maximè moueatur. Iamq; eos qui vincunt, & cur aut quomodo vicerint non intelligunt, vinciq; rursus ab hoste, se turpiter

C

patiuntur





paterentur indignos haberi, quibus Deus Opt: Max: aliquid  
opis & benignitatis suae largiatur, & quorum calamitate ac e-  
xilio, ad misericordiam aliquis moueatur, Moschum, serum &  
crudelem hostem, satis superq; esse, etiam si verbis qua re ipsa  
christianum magis se profiteatur. Hunc si non Christiano, at  
certe Romano nomini infestissimum, & eum qui loco & occa-  
sione nacta inimico pepercisset, esse fuisseq; semper impruden-  
tissimum. Dandam ergo operam, vt non tam de continuando  
& prosequendo contra eum bello, quam de continuandi & p-  
sequendi rationibus, haberentur consilia. Etenim, non modo  
bello, sed vel belli metu ac suspicione affligi Rempub: nemo  
sanus in dubium vocat. Tributum, & priuararum rerum iactura  
ra, graue futuram nunquam, cuius esset merces, spes gloriae &  
immortalitatis sempiterna, & quam vt pluuias & tempestates,  
splendor & serenitas. sic tranquillitas & ocium, & voluptas,  
peracto bello sequeretur. Pecuniam deniq; neruum belli dici,  
quam esse potius existimandum, & ex Alexandro magno con-  
tra Darium, aut ex Romanis contra Gracos, exemplum do-  
cumentumq; capiendum. His in vtramq; partem sententijs,  
cum diu multumq; disputatum, & bellum tandem esset decre-  
tum, tu qua tua prudentia, & in gerendis rebus cura & sollici-  
tudo est, protinus illud apparare, tu militem conscribere, tu ar-  
ma, tu comeatus disquirere cepisti. Erat autem superioris  
belli, non admodum grata & iucunda omnibus memoria. Sic  
enim fit, vt admirari quam tractare arma, sit longe facilius, &  
cum domi, tum militiae, multa experiri & perferre miseros  
mortales oporteat. Itaq; praeteritarum rerum recordatione,  
vix parem, ne dicam superiorem anni proximi exercitum col-  
lecturum esse te aliquis iudicabat. Quas tu difficultates, & ho-  
minum opiniones omnes, addo etiam fraudes, & proditones  
in te, & in Rempub: factas, ita omnino peruicisti, vt diuina ope  
& benignitate fretus, ad expeditionem eam, quam susceperas,  
expeditus ires: & nulla cuiusquam fraude, aut machinatione re-  
tar datus



tardatus viderere. Iam Moschus cum aperta vi minus posset,  
 arte & cuniculis fortunam tuam subvertere volebat, & suis ad  
 te non tam oratoribus quam exploratoribus subinde dimissis,  
 quorundam animos ad productionem spe & precio sollicitabat.  
 Et cum multo ante id fecisset, tum vero per Nasczekinum quorundam  
 suum internuncium longe diligentius fecit. Qui ut erat  
 mente non obrusa praeditus, Gregorium Oscikum, furem  
 audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem,  
 quo cum clandestina haberet consilia, reperit, & cum legatos  
 pacificationis gratia ad Moschum, ut mitteres frustra postulas-  
 set, literis & responsione statim accepta, denuo audientiam abs  
 te petijt, ac in sequenti die Vilna ne discederes, utque Legatos sui  
 principis praestolarere postulavit. Fuit id admirationi omni-  
 bus, ut merito esse potuit, venia discedendi accepta internunci-  
 um hostis ad te redire, & nova mandata exponere, omniaque haec  
 techniarum & fallaciarum plena, & extrahendi temporis cau-  
 sa comparata videbantur. Quae tu nihil magis quam ferenda  
 dissimulantissimè, & Nasczekinum speculatoris, quam orato-  
 ris partibus potius fungentem, sine vlla acerbitate dimittendo-  
 dum, & vel hosti ipsi tempus aliquod certum assignandum, quo  
 legatos ad te pacis gratia, si vellet mitteret, & interim metueret  
 abs te nihil iudicavisti. At Oscikum, tanquam putidum aliqd  
 & sanguine, hoc est, dilectione patriae carens membrum, cum nec  
 inficiandi ratio neque defendendi facultas, amplius ei esset, in strani-  
 te Senatu, iubentibus legibus, clamante patria, iustitia socia, viti-  
 dice poena, e medio sustulisti. Atque ita demum rebus omnibus,  
 quae ad hanc tantam expeditionem pertinebant, mature & di-  
 ligenter provisus, teque & tuis Deo Opt: Max: suppliciter com-  
 mendatis, & a Gregorio XIIII. Pon. Max. per Paulum Vchani-  
 um eximia industria & animo virum, sacro ense & galea acce-  
 pta, quintadecima Iulij die Vilna egressus es, & VVczafnikos  
 versus, miliaribus quinquaginta inde distantes, ubi copiae omnes  
 tuae debuerant confluisse, per Minsk, & Borislovo, respectas



identidem, & operiens alios lentis itineribus contendisti. Quo  
ut peruentum erat, habita est deliberatio, quoniam belligerandi  
iustitiam tuam, vim suam & potestatem exerere ante omnia  
deberet, & ut improvisum nihil esset, antequam Magni ducis fi-  
nes, & ditiones attingeres. Neque id iniuria. Cùm enim in omni-  
bus alijs rebus, tum maximè in ijs, quæ ferro peraguntur, nefas  
est dicere non putaram. Volabat iam pridem fama, te ad oppu-  
gnandum Smolenscum, sicuti superiori anno ad Polociam pro-  
fecturum: quòd ea via tormenta bellica, secundo flumine Ca-  
spla, ad aliquot saltè à Smolensko milliaria vehi possent: & quòd  
æquum magis esset, recuperare Smolenscum, quod antea erat  
Lituanorum, quàm appetere alienum, si quid aliud esset quod  
dici deberet tuum tenebris antiquitatis, ad modum esse, inuo-  
lutum & quod ibi hostem quarere, multo esset meliùs, v-  
bi & mentionem extruxisse (qua expugnata omnia essent per-  
uita) & exercitum collegisse quàm maximum diceretur. Neque  
verò Smolensko Moscho adempta, Severien: ditionem uni-  
uersam, potestatis tuæ esse futuram aliquis dubitaret: & hostem  
ea capta animum vel maximè desponsurum, omnes crederent:  
cùm eius titulo inter alios se insignire, & illam arcem, tanquam  
propugnaculi loco suarum ditionum habere videretur. Sed  
enim in consilijs bellicis prima & maxima virtus est silentium,  
Iam enim augurantibus, sic de te cunctis, & ipso Moscho,  
Smolenscum oppugnatum ne ires, vehementiùs suspicante, tu  
Magnam Lukam versus, ingressus es iter: quòd & Senatorum  
pene omnium magna esset eam ad rem consensio, & provinciae  
Lituaniae, atque adeò Lituaniae, si diuertere bellum hostis vel-  
let defendendae ratio, & vel minima in eam partem Moschi  
suspicio, ita suaderet: & quòd credibile maximè esset, hostem  
eò quo exercitum iturum coniecturam faceret, deiectis robo-  
ribus, alijsq; artibus omnem aditum præclusisse, aut impedi-  
turum certè esse: & quòd parum interesset, tu ne quòd hostis pos-  
sedisset, an hostile agrederere: & quod deniq; Magnae Lucae a-  
gris &



11  
gris & regione effret ferax & opimum magis in tota Moscho-  
uia nihil, ad quam defendendam hostis venturus, & quod in  
votis maximè omnium fuerat prælii fortunam, tecum expertu-  
rus, ab ipso Seremeto captiuo tuo, qui apud eum exercitus  
ductasset, omnibusq; alijs diceretur. Neq; verò vlla in re est  
lubricum & fallax magis, quàm de futuris euentibus iudici-  
um. Attamen non tam consilia felici exitu comprobata dele-  
tare, quàm veritas in disputatione limata erudire nos consue-  
uit. Stante ergo sententia, vt Magnæ Lucae oppugnatio, po-  
tissimum institueretur, lustratis veteranorum militum ad Luko-  
lã copijs, & Georgio Farenlsbeko, egregio & militari viro, Re-  
gis Daniæ Marschalco, cum certa equitum Germanorũ manu  
eò loci veniente: itum est primum Vitepscum, vbi Lituanorum  
copiæ ornatissimæ obuiam tibi sunt progressæ: demum Sura-  
sum, apud quam arcem tanquam in confinio hostilis diuionis,  
positã, rapidissimum & maximum flumen Dhuna, stratis pon-  
tibus superandum erat. Tu interea Ioannem Zamoscium Re-  
gni Cancellarium, summi animi & consilij virum, ad expugnã-  
dum Vielisum Vitepsko dimisisti. Distabat illud sedecim à  
Vitepsko milliaribus, & vniuersæ eius regionis ceruicibus im-  
positum, ac natura & arte permunitum, à forti etiam præsidio  
hostili tenebatur. Quam ille arcẽ vt hosti carissimam, ita Rus-  
siæ infestissimam, tormentis ad motis, diebus quàm paucissimis  
per deditiõnẽ cœpit, & quasi à dextro latere, tibi & tuis copijs  
excubiarum loco factus, Magnam Lukam contendit. Tu ipse  
Vsuiatum profectus es, & eam Magni Ducis muniuonem, Li-  
tuaniæ ademptam, ac Olgerdi Magni Ducis Lituanorum o-  
lim sedem, Nicolao Radiuilo, amplitudine familiæ & rebus  
gestis clarissimo imperatore, cum alijs Senatoribus & nobilita-  
te Lituanica, eorumq; voluntarijs, & præstantibus copijs præ-  
missis, potestatis tuæ effecisti. Mittere tum hostis ad te literas,  
& internuncios, & dimissæ iam pridem legationis spe distinere  
te, & ab itinere cœpto, tetrahære instituit. & suis ad eò literis illis



iusserit versus Davidis, quibus à profusione Christiani sanguinis,  
homo videlicet patiens, & moderatus, te dehortatur. Tu mihi  
his mouebare, eius artibus & fallacijs, sed quasi ex compo-  
to, & veluti quadam lite damni & iniuriæ contestata, cum ad vi-  
Augusti diem sicuti per Nasczekintim assignaras oratores,  
Moschi non venissent, in sequenti die Viellsum possedisti: &  
breui post Vsuiatum, die eiusdem mensis sextadecima, cum neque  
tunc ut literis suis denuò missis pollicebatur, legati ipsius adue-  
nissent per deditiōem accepisti: dimissis omnibus cum fortu-  
nis & facultatibus qui in præsidio fuerant saluis, quod hac cle-  
mentia & mansuetudinis tuæ fama, alios quoque ad deditiōem,  
faciliores esse futuros iudicares. Sed in barbaris, & in seruitute  
hominibus natis, seueritas, quam placabilitas, multo magis  
potest. Iam verò dum Surazo, Vsuiatum, & inde, Magnam  
Lukam proficere, quot & quanta incommoda ferre, &  
quantas viarum ac sylvarum difficultates superare fuerit te ne-  
cesse, (quanquam secura molestiarum recordatio habet aliquā-  
do voluptatem) longum esset percensere. Summa quod ego  
quidem sciam fuerunt incommoda omnia, immensa itineris lō-  
ginitudo, sylvarum densitas tanta, per quam via aperiri ferro vix  
poterat, paludes & torrentes, transitu difficiles, regiones ob va-  
stiatem superatu incredibiles, ita, ut hæc expeditio tua, cum lon-  
gissimis & difficilissimis omnium Regum & atatum expeditionibus, iure  
ac merito conferatur. Non Turca in Persidē, non Hispanorum ex  
vltimis Hispaniæ oris, in Germaniæ inferioris puincias, non illa  
in Syriā quingentos ante annos Christianorum expeditio, longior &  
difficilior fuerat: non denique Christianorum regum & principum  
alius, post Vitoudum, sua contra Moschum, arma, longius pro-  
tulerat. Interea rerum Moschouitica illa tandiu expectata super-  
uenit legatio, verbis & barbaro fastu, quam rebus magis instru-  
cta, cuius ego ineptias si percensere vellē, dies ipsa me defice-  
ret. Principio negabant legati se mandata sui principis exposi-



tuos, nisi tu etiam ab oppugnanda arce prius recederes, & in  
 Lituaniam referes. Id cum nec licere, neque decere, ut postula-  
 bant, responsum eis fuisset, in tentoria sua se receperunt, tanquam  
 in viam planè se daturi. Demum verò, cum dies aliquot silen-  
 tio transigissent, & ardere arcem ex rumore accepissent, at dien-  
 tià repente postulāt, & legationem exposituros se esse pollicen-  
 tur. Iam dubitabat nemo, Moschos illos, non tam oratores,  
 quam licitatores censeri potius debere, & sui dissimiles non esse  
 se futuros, quò minus plaustra verborum tantum afferant, & ad  
 extrahendum tempus disquirant tendiculas. Sed tamen, ne vel  
 in hac parte desiderasse aliquid iure viderentur, denuò ad te ho-  
 norificè (ut semper aliàs) deducuntur, fit summum silentiū,  
 ad est maxima frequentia virorum præstantissimorum, simul  
 verò & illius (si diis placet) orationis eorum, & tormentorum  
 ad arcem tuorum, exauditur sonus. Tum illi non tam ea, quæ ad  
 pacem spectarent, sed quæ animum tuum magis irritarent profe-  
 runt: longa serie principis sui ad te legationes, & rursus ad illū  
 tuas commemorant: damna & iniurias abs te ei factas exagge-  
 rant: & nequid tale in posterum fiat postulant: & omnem iracun-  
 diam, siue indignationem, principem suum, deposuisse erga te,  
 testantur. quod etiam si secus fuisset, & ipse legatorum loco ve-  
 nisset, tu ferre non inuitus poteras. Est porro in more positum  
 & consuetudine Moschorum ut cum primam quasi partem lega-  
 tionis suæ absoluerint, reliquum exponant Senatui, & de fœ-  
 deribus conditionibusque pacis cum ijs tractent. Disceditur er-  
 go, ex tuo, in aliud tentorium: assident legatis consiliarij: fit de  
 conditionibus disceptatio. Quæ erant per quam ridicula, nē-  
 pe Polociam & alias captas per te arces, ut Moscho restitue-  
 res, fœdus perpetuum cum eo (si placeret) iceres, & id genus alia  
 Quæ cum eis non successisset, mox aliam ingrediuntur viam:  
 neque renunt ut Polociam habeas, & in Lituonia arces eas, quæ  
 ab ipsius perfidia, tibi erant relicte retineas, utque arce Iezierzy-  
 ſzcze & vsuiata iam possessa pro captiuis illius potiare. Mo-  
 uere



uere ista stomachum poterant: & oratores vel licitatores illos potius, tot tantisque cum ineptis, in conspectum tuum admitti amplius videbatur indignissimum: tu tamen nec publice, neque priuatum, ne verbo quidem vlllo violare eos permisisti: sed cum dicerent habere se in mandatis, ut si quæ essent, de quibus conuenire tecum minus posset, per literas vel internuncium, ad magnū ducem referrent: cum illorum tuum etiā internūcium in Moschouiam dimisisti, ad Magnū Ducē literis datis: quibus perpetuam voluntatem tuam ergo Christianā Rempub: declarare, & te pacis atque tranquillitatis custodem esse significare voluisti. Interim die ac noctu, arcis durabat oppugnatio, & vix vnus die ei itinere aberant internuncij, cum magnitudinem ignis conspicati, captam iam arcem esse facile iudicauerunt. Erat ea in aperto campo, & post tantam sylvarum magnitudinem, in amæna quadam planitie posita: in quam exusta, per ipsosmet hostes, prægrandi & pulchrè extructa ciuitate, magnus se se ciuium & agrestium numerus intulerat. Fit ergo ea qua capitur die, cædes quàm maxima, vix cum aliquo sexus, vel ætatis, vel etiā conditionis alicuius discrimine, & quanquam pueris, & fœminis, & viris adultis aliquibus, vita fuerit seruata: tamen maxima hostium pars, furore militari, & impetu cadit. Præfecti arcis quos Palatinos vulgò dicunt, in munitiones Cancelarij capti uel deducuntur. Vieiko, qui tanquam præses, & custos omnium, nuper missus à Moscho fuerat, homo nequissimus, & administrator voluptatum, tyrānidisque ipsius, trucidatur, omnia denique fletu, eiulatu, & cædibus complentur. Admonueras eos tu, ut Regiæ clementiæ fidere, quæ nulli vnquam defuisset, quàm supremum diei exitum, expectare potius vellent: sed nihil est spe vitæ malus, & nihil fallacius, quæ si vix destituit morientes, quid destituat armis pro victoria contendentes? Quo loco venit mihi in mentem, diei illius, quo tu electo castorum loco, cum vniuersis tuis copijs, sub arcem descendisti. Præibant tot equitum hastatorum millia, instructis ordinibus, sequebantur selectissimi



13

Crassissimi pedites suis agminibus, ingens erat equorum fremitus, splendorq; armorum, & tubarum sonus, tot arcium & pugnarum victrices bombardæ, & infinita curruum, quadrigarum, & impedimentorum millia, terga claudebāt, omnes deniq; copia, viris, equis, armis, gemmis, auro & argēto ornata, & terris quodammodo graues, suis inauratis & pictis vexillis distinctæ spectabantur: sic, vt terra mugire, torrentes lissi, montes & arbores gestire, præ admiratione earum viderentur. Quas summū arcis excipit silentium, quale aut deditiois spem facere, aut verò hostium in extremis difficultatibus & periculis perferendis, obfirmatum animum prænunciare cōsuevit. Qui certè talis ac tantus exitit, vt haud scio, an obstinatio hostium admiratione, an verò peditum tuorum, maximeq; vngarorū veteranorū virtus prædicatione digna magis fuerit. Quorum fortitudo in periculis, labor in operibus, patientia in laboribus, industria in aggrediendo, cōstantia in persequendo hoste, maxima enituit. Quos utiq; crudelitatis & immanitatis damnari ab aliquibus audio: nec verò & ipse, illius diei victoriam, secus terminari potuisse & debuisse existimo. & illud cerè contendo omnes eos, qui interfecti sunt, furore Martis occidisse, non ira tuæ victoriae: & Vngaros dignos esse laude, magis quam conuicio. Qui cū a ducentis penè annis, contra Turcas Christiani nominis hostes, bella gesserint, tamen nō modo supersint aliqui, sed in his tam longinquis regionibus militent, & pro principis sui, atq; huius Reipub: gloria, à Danubio, à Tibisco, à Saaua, à Draua, à Marossaprocul, vix nō ad Meotidē lacum, & in vltimas Aquilonis latebras, armorum suorum vim, terroremq; extendāt. Nō Vngari crudeles, sed perfidi Moschi, non illi feroces, sed isti ingrati, & immemores beneficiorū, sunt censendi. Quod enim est maius beneficium, quàm huius lucis vsurā alicui dare? vita & facultatibus, cū iure & merito possis non eum priuare? At Moschos ista expertos esse omnia, nemo est qui negare possit. Vita est ijs data, non latronum more, sed vi-



etoria lege: non sicuti quidam fructus insidijs gloriantur, vitā se dedisse ijs quibus non ademerint, sed iuste ac legitime bello denunciato & suscepto, & eo iure habito, qd̄ diuina nemesi armis & victori datur. Facultates postremo eorū sunt ijs restitute si eorū & non tyranni debent potius appellari. Testis est eius rei Polotia, testis Sussa, testis Vielizium, testis Vluatum, ex quibus arcibus, ij qui in praesidio erant, cuncti dimissi sunt, & quō volebant, cum liberis, coniugibus, fortunisque suis tutō se receperunt, Age porrō, quid est minus hominibus, quam ingratum esse beneficiorum, etiam minimorum? Aliter enim exoluitur gratia, & aliter pecunia. Pecuniam qui retinet non dissoluit, qui reddidit, non habet: gratiam & qui retulit habet, & qui habet dissoluit. At verō in Moschis tam ingrati significatio animi, tam immemor mens beneficij, tam nulla ratio humanitatis & officij deprehensa est, quam vix credi potest. Siquidē ij quos dimittere placuit, non solum Lucam ingressi sunt, sed hortatores etiam auresq; ad obstinationem alius fuerūt. Qui tamen omnes sic dederunt manus, vt cum alias, tūm verō id tēporis maximē, verum fuerit, illud quōd dicitur, fati volentes duci, nolētes trahi ad interitum. His ita gestis, tu arcem reparare, quam ferē vniuersam flamma absumpserat aggressus es, quōd in eius restauratione, totius illius expeditionis fructus, positus esse videretur. Quod dūm facis, duo etiam alia, mea quidem sententia, es assecutus. Primum, quod tantum tamq; maximum exercitum, qui centum hominum, & centum equorū millibus ampliūs, cōstabat, mirum in modum refecisti: res omnes, non modō ad necessitatem, verū etiam ad voluptatem loco illo subministrante. Alterum quōd non modō arces, & munitiones, hosti eripere, sed & ipsum si egredi, & praelio experiri fortunam tecum voluisset, vno in loco diu multumq; expectare es visus. Sed profugerat iam pridem ille Slobodam ultra Moschouā, & vt homines cupiditate aliqua perditū, siue Phantici, & gritudini animi sui, vino & somno, medicinam quāerūt,

sic &



14  
sic & Moschus, vt quasi exultare suis in illa calamitate videre-  
rur, vxorē tūc ( vt ferunt ) & ipse duxerat, & filij maioris natū  
sponsalicia celebrabat: copias tamē suas, varijs in locis habebat  
distributas, quas, vt ex literis eius, apud captiuos inuentis pa-  
ret, vt nō tā aperto Marte, quā furtim & à longè, exercitū tuū  
carperēt, & infestaret, ille tā strenuus & gloriosus imperator,  
idē idē admonēbat. Has cum aēte etiā milites tui fudissent, ita, vt  
nūquā ex nostris, quos pabulatum profectos aliquando cōpe-  
rant, impunē Moschi triumpharent: tūm verò ad Turopczum  
vt confluisse aliquot eorū turmas audiisti, vt nō armorum  
tuorum vim & formidinem, eò quoq; proferres, facerē nō potu-  
isti. Primū ergo Georgius Barbi Vngarus, veteranus & in-  
dustrius p̄fectus, mox et Stephanus Zbarascius, Braczlaien-  
Palatinus, vigilantissimus & animosissimus Dux, cum aliquot  
equitum millibus, est abs te missus. Et distat quidem Turop-  
czum, sedecim à Magna Luka miliaribus, obsummāq; viarum  
asperitatem, & sylvarum densitatem, aditum habet per difficil-  
lem, ita vt nōn minū in faciendo itinere laboris, quā in con-  
figendo cum hoste, periculi inesse videatur. Eò post infinitas  
molestias & difficultates, cum miles tuus peruenisset, ab ipsis  
hostibus ciuitas exusta est, Moschorum verò & Tartarorum  
copiæ, tuos, quos longè pauciores fuisse suspicabantur, sub ip-  
sis quasi arcis propugnaculis in planicie expectabant. At verò  
vsq; eò est terribilis, victor exercitus, vt vel sine armis, geminet  
sæpius victoriam. Jam enim stante aduersa acie, & militum tu-  
orum ordinibus instructis, armisq; pralucētib; persequente  
adhuc nemine, hostes terga verrunt: & nullo virtutis argumen-  
to edito, repentē omnes fugere incipiunt. Quos miles tuus inse-  
cutus trucidat, & capit quā plurimos: sic, vt inter illustriores  
captiuos alios, Demeczin quidam, cognomine Czeremissa, fa-  
tore & gratia sui principis, apud suos clarus, & Naszczekin  
alter, qui postremo Vilnæ hostis ipsius internuncius apud te fu-  
erat, tuam in potestatem peruenierint. Nusquam autem tam di-



caecos homines repereruntur, quam sunt Moschi, & nunquam tamen  
fit eis malè, quin remittant animum, & liberius loquantur, put  
in hac re. Viderat Nicolaum Olesnicum, familiarè tuum, cum  
esset internuncius Naszekin Vilnae: quem cum illo in loco, sed  
dispari fortuna rursus vidisset: quam varia diuersaq; inquit,  
sunt Olesnicitempora. Nuper cui obuia progredi cuncti non  
dubitabatis, eum nunc demum, vinctum & captiuium ducitis,  
Idem abs te Vilna, cum in Moschouiam proficisceretur, quendam  
dam, qui pro ductore datus ei fuerat, ad Magnum ducem, ut  
secum rapuerat, & miris tormentis, ut subijceretur, causa & au  
thor extiterat: ut consilia tua, si quae sciret, omnino explicaret.  
At enim faciendum non est, ut decoro & honestati remittamus  
nuntium, impunitans spe & fiducia. Homines quamlibet  
locis & regionibus diiuncti, praeter voluntatem & opinionem  
suam, aliquando conveniunt, & sui quicquid sceleris sua manet  
poena. His ita praecclare gestis & confectis rebus, nondum  
quiescebat regalis mens & animus tuus. Oppugnabatur  
Neuelia a Ioanne Drohostaiscio, Polocen: Palatino, vix non ex  
eo tempore, quo Magnae Lucae oppugnationem tu etiam fura  
ras aggressus, quod eam arcem inter Polociam & Lukam re  
linquere hosti, esset inconsultissimum: & quod arx, sine muni  
tio altera, Iezerzisce nuncupata, perinde atque anno superiore  
Sussa, se se deditura, capta Neuelia crederetur: ut mox opinio  
nem euentus comprobavit. Verum ea Neuelij, oppugnatio,  
paulò erat languidior, & propter praesidium, quod etarci inerat  
fortissimum, & propter tormentorum, & denique propter mili  
tum tuorum, à quibus oppugnari coepta fuerat paucitatem.  
Non Palatinorum hortatu, qui in Luca capti, & ad Neuelien:  
ut se dederent missi fuerant, non minis, non terroribus, non vi  
tae & gratiae pollicitationibus, profectum fuit aliquid: summa  
erat hostium obstinatio, mira quidem in conquirendis & ia  
ciendis telis in tuos, inuentio, incredibiliter insultare tuis, suis ve  
ro, qui sese dedidissent, perfidiam exprobrare, & praesidere si  
bi vto



hi videbantur. Itaq; Ioannem Bornemissam, Bornemissæ illis-  
 us clarissimi viri filium, qui contra immensum Solimani Tur-  
 cæ exercitum, sub Ferdinando Casaræ Agriam defendit, cum  
 certo Vngarorum peditum numero, & tormentis, ad eam ar-  
 cem expugnandam, denuò misisti. Sed omnino est mirabile,  
 quãtos tyrannidis metus, in animis hominum relinquat acule-  
 os. Iam enim, sine fide in Principem, siue verò crudelitatis & sæ-  
 vitia ipsius metu, in defendendis strenuè arcibus, sic peritices,  
 Moschi fuerant, vt periculi nullius vi, nullo metu mortis, nul-  
 la gratiæ spe, ab instituto dimoueri possent. Erupit, simulatq;  
 Bornemissa venit, non parua eorum manus, & cum in munitio-  
 nibus libertius vagantes, & nihil tale suspicantes, tuos esset ag-  
 gressa, non paucos vulnerauit, aliquos etiam interfecit. Borne-  
 missa quidem ipse, & strenui militis, & vigilantis ducis tulit eo  
 die nomen. Nec multò post, suis inultam ab hoste maculã,  
 subdita arci flamma, eademq; per deditionem occupata, egre-  
 giè absterisit. Ex qua arce, vt & alibi fecisti, omnes eos qui in  
 præsidio fuerant, vita & facultatibus eorum saluis dimisisti. Su-  
 pererat Zauolocia, & Siebiezum, & Opoczka, tria hostilia pro-  
 pugnacula, quibus hosti ademptis, per immensa terrarum spa-  
 cia, imperium tuum prolatum iri, & Russia Lituaniaq; tuta fu-  
 tura esse videbatur. Et quãtum à Luca, Neuelia, tantum ab v-  
 traq; Zauolocia, velui in triangulo posita penè distabat. Hanc  
 ad Zauolociam Cancellarium mittere, & te ipsum Neuelsum  
 proficisci, quasi in reditu placet. Philo interim Cimita, post ca-  
 ptam Polociam, Palatinatu Smolenscen; atctus, qui certis mili-  
 tum auxilijs coadunatis, primùm quidem flante, mox reflante  
 fortuna, contra Moschos, ad Smolenscum dimicauerat, & à te  
 demum accersitus eò venerat, arci præficitur. Curatur omnia,  
 quæ tùm ad impetum hostis propulsiandũ, tùm ad obsidionis  
 difficultatem perferendam spectant: miles, tormenta, & id ge-  
 nus alia relinquuntur: & quod ante possuisse debueram, tua citi-  
 ra, tuo studio, tuo diurno nocturnoq; labore, arx ipsa pficitur

D iij

At tanq



At tandem Nettellum iter suscipitur, in qua dum de locorū & temporum rationibus, in quibus miles hyemaret, habetur consilium Iezierziscum se se dedit, Palatini Vilneni cuius est summa apud hostes fidei & autoritatis opinio, & aliorum Senatorum Lituaniæ interuentu. Quæ arx siue munitio, vt loco & natura munita est, ita arte & structura omnino admiranda. Eo etiã ij, qui ad Magnum ducem ierant, reuertuntur internuncij. Iam paulo loqui cœpit Moschus ciuilius, & Dhunã flumen, cuius argenteas ripas, aureum fundum, apud se esse olim dicebat, cum arcibus cunctis quæ ei adiacent restitutum se esse tibi promittit. Quam deliberationem omnem, tu ad comitia reiecisti. Et quia iam sæuire hyems cœperat, & tam viris, quam equis alimenta defecerant, domum quisq; reuertit, & ex horrida regione referre, vel quam primùm pedem, nemo non habebat constitutum. Tua vnus in tot tantisq; incommodis, ad omnia perferenda incredibilius percalluerat patientia: sed dandum nihilominus fuerat precibus aliquid, necessitatiq; communi. Quo circa, missis ad Cancellarium, equitum & peditum nouis auxilijs, per maximam, & non solum transitu difficilem, verum etiam aspectu ipso horribilem syluam, Polociam es profectus: eamq; vnus, aut alterius diei itinere mira celeritate superasti, cum reliqui omnes, plures dies in ea hæssissent, & aliqui, cum nec regredi, neq; progredi possent, currus, equos, arma, & suppellectilem abiectisēt. Suspensos iam tenere cœperat multos, Zauolocia oppugnatio, quæ arx vnde quaq; circumfusa aquis, & in colle posita, erat perquam difficilis expugnata: apud quam militum tuorum casum, de quo incerto auctore allatus rumor Polociam fuerat, dolere videbare. Sed tamen quæ tua prudentia, & ingerendis rebus experientia est, sine cæde, & sanguine, illa non fieri, posse affirmabas. Imperatoris esse, quam paucissimorum, solius Dei Opt. Max: interitu nullius, constituere victoriã. Ac sic deum Polocia, Dzishã profectus, Zouolociam captam esse audivisti. Quæ perdiderit sanè aliquos, sed in & ipsa hosti tuo pe-



ſunt. At verò hæc nimirum laudanda, quæ claudit opus eſt vi-  
 ctoria: & cum apud arces alias, non fruſtra tentaffe fortunam,  
 fuerit pulchrum, tum apud Zauolociam pulcherrimum. Quã  
 vis non tantum equorum & fortunarum, ſed etiam multorum  
 virorum honorum, iactura, hæ tot expugnationes arcium con-  
 ſtiterint. Quorum mors naturæ debita, patriæ eſt potiſſimum  
 reddita, & quorum vitæ virtus ſociæ, interitus comes gloria fu-  
 it. Amiſſimus quippe ſuperiori anno ad Polociam Michaelẽm  
 Vadas, peditum Vngarorum præfectum, & Ioannẽm Croſſi-  
 um equitem Polonum, omni poſteritatis memoria dignos &  
 præſtantes viros. Amiſſimus ad Sokolum Kamienſium,  
 Viſſocium, & Iacobum Suiecinum, & Iacobum Borukouium  
 & Nicolaum Cloczeuium, vt paucos in multis cõmemorem.  
 Hoc verò anno Procouitium ad Vſuiatum, ad Lukam Petrum  
 Cloczeuium Caſtellanum Zauichõſten: & capitaneum Malo-  
 goſten: ſtudio in Rempub: & obeundis legationibũs, ad exte-  
 ros commendatum: Ruſſiniam, Drohobuzium, Petrum  
 Gergel, Leſki, amiſſimus: ad Neueliã Bernhardum Co-  
 lubiciũ, & Stanislaum Rucium, nobiles centuriones deſide-  
 rauimus. Tandẽm verò, & ad Zauolociam Chriſtophorum  
 comitem Rõzrazeuium, genere, virtute, induſtria, & rerum  
 uſu præditum: & Martinum Veierum, Erneſti illius Veieri, ne-  
 potẽ (qui omnibus ferẽ bellis, quæ quadringinta annis ſunt  
 in Europa geſta, interfuit, & aliquibus præſuit, & qui nunc etiã  
 comitẽ ſe tibi præbuerat) eripuit nobis fortuna. Verũ, hæ ſe-  
 res habet, vt magnæ & memorabiles res, nõ ſiant ſine magno  
 & memorabili plurium interitu: Non poteſt non acerbiſſimus  
 eſſe caſus illorum, qui ſua morte victoriam nobis pepererunt;  
 ſed enim pericula vitari queunt, mortem effugit nemo. Maxi-  
 ma incommoda & detrimẽta paſſi & experti ſumus: at vel ſu-  
 marum voluptatum caput nos obliuiõ, niſi amaritudo dulcedi-  
 ni miſceatur. Deniq; danda eſt opera vt non tam mortem eorũ  
 qui tam diuenerunt nunquam, lugere & deplorare, quã virtutem imi-

tem imi



tem imitari videamur. Tu saluus & incolumis redijsti, in quo  
nostra omnium spes est reposita: quem conseruatorem patriæ,  
firmamentum salutis & libertatis, vindicem libertatis suæ cun-  
cti agnoscunt: & bello fatentur eximium, & præstâtem Ducẽ.  
Cuius ego in rebus gestis enarrandis, non abutor conscientia,  
cui nullas mea aut veras adimit, aut falsas annexit laudes ora-  
tio: & ad quem prædicandum, summa industria aliquem, non  
secus ac olim Appellem ad pingendum, aut Lyssipũ ad fingen-  
dum Alexandrum magnum, accedere oporteret: & de cuius  
excellenti virtute, magnitudine animi, cõsilio, gravitate, mode-  
ratione, clementia, non Græcæ, non Latinæ, non barba-  
ræ literæ concitescent. Quæ cum ita sint, Stephane Rex,  
fruere gaudio & læticia ea, quam tibi præstans regiaq; virtus &  
fœlicitas tua comparavit: retine nomen quod habes, bellatoris  
optimi, moderatissimisque victoris: & te maiora indies manentẽ,  
summa cum alacritate diuinitus præstolare. Dei Opt: Max:  
idem qui fuit semper mos & natura est, vt in dandis beneficijs,  
non sit contentus vno, sed cui largiri sua munera cœpit, si gra-  
tis fuerit, potiri vel pluribus atq; maioribus cum patiatur. Quo-  
per omnes honorum gradus ascenderis nosti, quæ verò in hoc  
folio fortuna te maneat, quàm tum cum ad illud nondum ascen-  
deras, faciliorem (vt mea fert opinio) coniecturam capis. Atq;  
ita velim statuas antithesim illam esse semperq; fuisse verissimã:  
Maiestatẽ regum à summis ad media difficilius detrahi, quàm  
à medijs ad ima præcipitari: & rursus à medijs ad summa quã  
ab imis ad media deduci esse facilius: virtutisque quàm ætatis cur-  
sum multò celeriorẽ. Si modo & illa ima, & hæc media, dici in  
te poterunt & debebunt. Et si in rebus tuis, fortuna aliquando  
multum, non minus certè prudentia potuit. Si quidẽ res abs te  
gestæ vt à constituto ducuntur initio, sic etiam certo terminan-  
tur fine, semperq; tu habes, vt incipiendi rationem, sic & desi-  
nendi modum: & imperium tuum Oceano, & gloriam nõ ter-  
minas astris (vt ingeniosus cecinit Poeta) sed pace, concordia,

atq; o



atq; ocio regnisti, neq; ad immortalitatem & laudem tui nomi-  
nis sanguine hominum, & corporibus occisorum, sternis tibi vi-  
am: sed conseruata Dei Opt: Max: religione, ciuiumq; tuo-  
rum ac Reipub: libertate: pro qua cum bellum geras, & in eo  
victor & triumphator semper euadas: tamen nemo est qui te  
alio vultu an bellum euntem, quam ex bello redeuntem cernat.  
Sic in te nec prudentia cedit fortunæ, neq; ipsa fortuna tumet  
& effertur, secundo rerum & prospero flatu. Quem in rebus  
modum tenere non posses, nisi hic sensus, hæc mens, hæc ratio  
animorum tuorum semper fuisset, vt non tuum, sed Christi im-  
perium, non tuam sed Dei immortalis gloriam, astris termina-  
res. At verò si C. Iulius Cæsar, qui non minùs moderati a-  
nimi laudes, quàm triumphos, & imperia quæsiit, vt eas gētes,  
quas Cn. Pompeius, paulò, ante domuerat, paruo negotio  
se subiugasse demonstraret, dicere de se veritus non est. Ve-  
nì, vidi, vici: quid nì tu etiàm simile aliquid dicere, de tam su-  
perbo & crudeli hoste parta victoria possis: Et quisquã du-  
bitabit, eo, qui Cazanos & Astracanos Scytas sibi subiecit,  
qui Austrum versus ad mare vsq; Caspium, ad Aquilonem, ad  
fluum Obbi, & ad extremos Lappones imperium suum pro-  
tulit, qui Danorum, qui Suecorum Regibus, qui Littonibus,  
qui Tartaris, qui Turcis deniq; ipsis formidabilis, & toto terra-  
rum orbi admirabilis fuit, coercito, plusculum aliquatò laudis  
posse te iure ac meritò sibi vendicare: Perfectis pfecto id, quod  
ate te nemo: vt maius hoc & grauius cū Moscho bellū, quàm  
ferè illa cūctæ, quæ Constantino Ostrogio ad Orscham, Ioan-  
ne Tarnouio ad Starodubum, Nicolao Radiuilo ad Iuanskū,  
Stanislaò Lesniouolio ad Neuelium, Romano Siengusko ad  
Sussam Ducibus, inita sunt cum eodem pugnae videatur. Pa-  
cē abs te Moschus petit, quā semper contēperat: condiciones  
eius accipit, quas dare alias didicerat: legatos ad te suos mittit,  
quos expectare consueuerat. Hic cū ad Cazanos & Astra-  
canos Scytas subiugendos iturus, semel, Polociam oppugnatu-

E

RUS,



rus, iterum, Sigismundi Augusti ad Radoszkovicze  
contra eum exercitum educens bellum à se propulsatu-  
rus, tertio iurasset, & subditis suis omnia libertatis iura, sa-  
ta tecta semper fore falsò promississet, idè & nunc fecit (vt ait)  
aduentantis exercitus tui terrore, & malefactorum suorum per-  
motus cōscientia: neq; factu aliquid prius habuit, quãvt & sub-  
iectorum suorum benevolentia præsidia, & tuorum, si qua  
fraude posset auxilia, contra te, sibi compararet. Videt liqui-  
dem nobilium, & præsictorum suorum numerum, in potesta-  
tem tuam quàm maximum esse redactum. Videt Cyprianū  
Magnæ Lucae Archiepiscopum, à quo & Polocia Archiepisco-  
patus administrari coniunctim voluit. Videt Basilium Iuanou-  
uicz Mikulinski, Felatouovski, Demetrium Michaylouiecz,  
Szczerbaty Obolinski, Matteum Iuanouiecz Rzouovski, Io-  
annem Hrehorouicz Salsin, Perum Iuanouiecz Volinski,  
Lukianum Trzeciakovv, occupata Polocia, in potestatem tuā  
peruenisse. Videt Serenretum ad Sokolum captum, qui tot &  
tantis rebus contra Seytas gerendis, exercitiis in expeditionē  
ducendis, apud eum praesuerat. Videt in Vieliza Parolin Bru-  
czou, & Basilium Basmakovv, in Vseiata, Michaelē Viel-  
dzeminovv, Ioannem Asczarovv, in Magna Luka Theodou-  
rum Likovv, Michaelē Kassin, Georgium Atissakovv, Basili-  
um Ismaelis filium: in Neuelia, Ioannem Cramissa Mindzanū  
Koliczovv, Ioannem Bibikovv, Stephanum Bobron: in Zauo-  
locia Basilium Soborovv, qui Astracianorum & Cazanianorum  
Tartarorū subigēdorum Dux authorq; fuerat, Ioannem Zlobin,  
& Basilium Nazimor, qui peditatu praerat, captos & detētos  
esse: videt Demeczin Ceremissam, omnium libidinum & cōsi-  
liorum suorum conscius, & Naszczekinum, non pacificatio-  
nis, sed molitionis nuncium, prodromum perfidiae, tyranu-  
dis satellitem suae, in militum tuorum manus ad Turopcziū in-  
cidisse. vt Boristēum Seinum, Andream Palecium, Michaelē  
Licium, Basilium Kriuborsecium, Ignatium Bludovv, & Vo-  
ielko.



ierko magni nominis duces & praefectos ipsius, multosq; alios  
 occisos, & penè infinitos captos, ac in potestatem tuam, tu-  
 orumq; redactos, tormenta bellica amplius ducenta, illi erepta  
 magnam comaeatus, maximã apparatus bellici vim, & copi-  
 am ablatam, non commemorem. Horum ergo morte, illorũ  
 captiuitate, & cum tot arcium, tum virorum interitu, cum op-  
 tum & facultatum, tum nominis & existimationis suae iactura,  
 vehementer commouetur: harum rerum lacerat, harum cruci-  
 at eum recordatio: hunc deniq; eundemq; exitum, qualis &  
 alios tyrannos semper mansit, cum metu & horrore circumspé-  
 ctat. Liuitiam quomodo restituat atq; reddat tibi, nunc reuo-  
 luit secum, nunc haeret animo, & acerba eius rei cognitione pe-  
 nè totus contabescit: nunc cũ spe, nũc cum metu confligit: nũc  
 imperij augendi cupiditate, nunc amittendi formidine cru-  
 ciatur. Turpe esse ducit ea, quae tantis latebris, & tenebris ob-  
 securitatis suae lucem attulit, quae nauigationem in varias orbis  
 terrarum partes, quae cum exteris gentibus nationibusq; cõ-  
 merita illi aperuit prouincia se se priuare: sed rursus quibus  
 dolis, & fraudibus eã quaerit, quam perfidè tecum, quam  
 inuidiosè cum tuis ciuibus, quam immaniter & Tyrannicè cũ  
 omnibus egerit recordatur. Hac ita abire non posse, diutur-  
 nitatis, custodem metum, infidum esse, semperq; fuisse, genium  
 tuum fortiozem illius videri, fortunam superiorem indies eua-  
 dere cogitat, atq; considerat: tot deniq; fraudes & periuria, tot  
 mortes & supplicia, non iam adultis, sed pueris, & infantibus,  
 omnium consiliorum expertibus, per se illatas, tacitus secum re-  
 cognoscit: & conscientiae angoribus, scelerumq; cruciatibus,  
 tanquam furiarum tædis ardentibus, dies noctesq; terretur: Po-  
 stemò præterlapsa illa tempora cernit in quibus non bello, sed  
 belli metu calamitatem Reipub: afferebat, & quibus maximas  
 clades & spoliaciones oppidorum, vastitates agrorum, interi-  
 tum legum, eadem ciuium apparabat: reuixisse Vitondum  
 inuenitur, qui non in suorũ tectis, ruinis & incendijs, sed in alie-

E ij

nis a



nīs agi s, fortunīs dō micilijs, eām eo non dicam hoste, quōd le-  
uius nomen est, sed cum violatore fidei, cū cōtemptore pacis,  
cum auctore in audita crudelitatis, cum patrono nequitiæ, cū  
labe & dedecore pudicitiae bella gerit. Quem quidem Vitou-  
dum adesse iūm, & tecum sic loqui videre mihi videor. Salue  
heroum praestantissime, decus & praesidium istius Reipub: Ba-  
thorei generis & nominis gloria, cuius eximiam virtutem, & in-  
gerendis bellis felicitatem, quam a te laudari audiebamus, nūc  
re ipsa experimur. Tibi ego non statuas, auro vel argento nitē-  
tes, non triumphos arescentibus laureis, sed longē his maiora  
& augustiora insignia, honoris, & ornamenta dignitatis, de cer-  
no atq; tribuo. Te non inter minorum gentium populi, recto-  
res aliquos, sed inter summos Reges & Monarchas, qui Res-  
pub: gubernarunt, ornarunt, propagarunt, iure ac merito col-  
locandum puto. Tibi fert acceptam suam Transylvania liber-  
tatem, Lituania pacem, Polonia dignitatem: te tui ciues amant,  
hostes timent, socij venerantur, exteræ gentes & nationes ad-  
mirantur. Suscepisti bellum, fama, & opinione magnum, ne-  
cessitate iustum, beneficio erga Rempub: gratum, progressu  
& consecutione gloriosum: perfigisti hostem natura barba-  
rum, voluntate perditum, fide & religione vanum, superiorū  
temporum iniuria clarum, tuis regnis & provincijs infestum, in-  
audita crudelitate memorandum: cuius impotentia animi in  
supplicijs, libido, in stupris, cupiditas in rapinis, superbia in cō-  
tumelijs, tanta est semperq; fuit: vt nemo nō modo augere vel  
exaggerare eā oratione, sed enumerare aut consequi possit.  
Quo cum, eū qui tibi restat actus, solito animi viriumq; robo-  
re prosequaris. Temeritatem eius consilio, malitiam candore  
regio, fallendi & simulandi artificia, perspicaci prudentia, furo-  
rem potentia tua superato. Nihil tibi eorum deest, qui-  
bus imperia & Regum opes continentur. Est felicitas, quæ  
Diuina quadam sorte datur: est prudentia, quæ bono nescio  
quo naturæ comparatur. Quæ quanto maiora & augustiora  
sunt.



sunt, tantò sibi sedem eodem in loco rariùs quarunt, & vix ali-  
quando sociantur. At vtrumq; illud, quod Diuinus Plato, ad  
summam perfectionem pertinere ait, in te est vno, summa vide-  
licet potentia & sapientia. Quid enim te soleritus? quid feliciter?  
quid admirabilius, dici aut fingi potest? Sit mirũ C. Iulium  
Caesarem, oppressã Repub: ab imis ad suprema ascendisse, te nõ  
oppressa, sed expressã ipsius libertate, Regno esse potitũ, quãto  
est magis admirandum? Sit gloriosum Martiã Coruino Hunia-  
dis filio, à Georgio Podebracio Bohemiã Rege, ex carcere &  
vinculis extracto, vna die & regnum & libertatem, obuenuisse  
tibi non vnius Regis studio, sed multorum hominum iu-  
diuo, post tot pericula, discriminaq; vitã, delatũ etiã Regnũ esse  
quãto est eritq; semper gloriosius: præsertim, cum nõ te locus,  
quã tu locũ magis exornes, neq; tibi splendoris plũs regnũ, quã  
& tu regno afferas & cõcilies: & cũ in administratione guberna-  
tioneq; Reipub: nihil tam arduũ & difficile inueniatur, qd tu &  
labore vincere, & fortitudine animi tueri, & felicitate superare,  
& celeritate tua nõ possis conficere: Nã vt ea, quæ in Transylua-  
nia gessisti, tacitus præteream: vt quanta õnium consensione e-  
lectus, quanta constãtia defensus sis, quot quãtasq; difficultates,  
& emulos, pericula, superaris, quã fortiter, & feliciter, res cõ-  
tra eos gesseris nõ commemorẽ: vt de ijs, quæ ad Lubiescheuũ  
lacũ, contra Gedanen: Ioanne Zborouio Castellano Gnesnen:  
aut ad vendenam, contra Moschos, Andrea Sapiha, strenuissi-  
mis, fortunatissimisque Ducibus victorias retuleris nõ loquar: vt  
ista inquã, õnia quæ fuerunt, sunt, & erũt semp maxima silentio  
transeã: quid hoc Moschouitico bello, cui non modo interfuisti  
verum etiã præfugisti maius & admirabilius fuit, aut esse potuit?  
Quæ post hominũ memoriam, oppugnatio acipiti contetione,  
Duces, & milites distractos, arctius Polotia tenuit: Quæ arx si-  
ue munitio, maius præsidium Socolo habuit: Quid Turovylia,  
quid Crasno, quid Sythno, quid Nieszerda, quid Caziani,



ditionibus tuis magis in festū, & quasi cervicibus eorū imposi-  
tum fuit? Quæ superiori anno cūcta, armis tuis cesserunt, &  
sub tuum, ac huius Regni imperium potestatemq; peruenērūt:  
Quid vero de huius anni rebus, abs te gestis, & victorijs  
tuis loquar? quid Vielziūm? quid Vsuatū deditione capium?  
quid Lukam, totū Moschouæ horreum, belli armamenta  
rūm exercituum hostilitum diuerticulū, occupatam proferā:  
aut quid deniq; Neuelliam, quid Iezierzileze, quid Zauola-  
tiam possessam? quid hostis copias ad Turopczum fusas? quid  
tot tantosq; Duces & præfectos eius captos? quid tot tor-  
menta bellica, quid tantum commeatum & apparatus belli ei  
erreptum commemorem? Et erit cuiusq; tanta dicendi vis,  
taq; copia, aut tantum flumen leuissimorum verborum, &  
sententiarū, quibus aliquis nō modo cōplecti orando, sed per-  
cēdere numerando hæc ōnia queat? Memorētur omnīū aratū,  
Regū, gentiū, & nationū expeditiones, prædicētur tot, tātiq; a-  
lij bellatores, terra mariq; res gestæ eorum celebrentur: erit in  
ter horū laudes aliqd loci tuo etiā nomini: & Maximas copias,  
lōgissimas & difficilimas expeditiōes, & admirabiles victorias,  
audiētes & legentes tuas, posteri obstupescēt. Quæ, cū in, ō-  
niū opinione magna, tū illa certè maximā, ac ōni laude & præ-  
dicatione dignissima: magnitudo cōsiliij, dicendi grauitas &  
copia tua, literæ, cura, cogitatio, magnarū vsus rerū, & cognitio  
o, ōnes deniq; artes, tam belli quàm pacis. Gelsi & ego res va-  
rietate sua magnas, locis diuersas, regionibus infinitas, rara ce-  
leritate admirādas: Moschi huius maiores, perdomūi: Crucife-  
ros in Prussia, & in Liuonia vici: cū Scythijs sapius, cū Temēria-  
no eorū Duce semel (quo habuit maiores copias mortalīū ne-  
mo) ad flumen Vorkla, licet non feliciter, fortiter tamen si-  
gna cōtulit: exhortuit ad tubarum mearū sonum, sæpenumero  
Scytia, sensit me virū esse Moschouia, vidit Polonia, audiuit Ger-  
mania. Verum vt, quod res est, fatear, ea, quæ in te admiror  
& suspicio, ad pertennem immortalitatis, & gloriæ viam,



mihī defuerunt: nec tam ornamenta pacis, quam ad iumēta belli curā mihī fuerunt. Tibi verò non modo castrense munus fordet nullum, non solum operibus militum adesse, speculatum egredi, castra, & stationes obire, in sole, in puluere, quotidie versari, primus inire praelium, postremus ex prelio excedere didicisti: verum etiam multas alias habes huius bellicae socias, & benevolentiae subiectorum tuorum, effectrices, regales, eximiasque virtutes. Iam humanitas tua ea est: ut quanto te altius effert fortuna, tanto te geras summissius: & qui omnibus dignitate es superior, facilitate rursus, & comitate antecurrere te, vel ab in finis non permittis: mansuetudine & placabilitate es tanta, ut non fortuna inflamare indignationem victoris, sed bonitas lenire videatur: & non minus hostes victi, summa cum animi suavoluptate, te victorem intuetur, quam interim dum vincuntur, fortunam fortitudinemque tuam extimescunt. Opes & facultates regni, non ad tuum compendium, sed ad Reipublicae commodum, & ornamentum, non ut auaritia praedam, sed ut instrumenta bonitatis conuertis. Ius ita dicis: ut aequitate, non precio illud definias: & nec odio, neque gratia, in aliquem mouere: neque tenuioribus potentiam, neque potentioribus inuidiam, apud te sinis obesse. Quod si duabus maximè rebus, fortitudine & iustitia, regale solium firmatur, & ipsa Respublica continetur. Quid Polonia felicius: quid Lituania beatius: te regnante & imperante, dici vel haberi potest: cum vtra virtutum earum magis praestes, non facile dixerim: & an fortitudine, quae stabile iudicium conseruare, quae labores suscipere, quae adire pericula, quae despiciere mortem docet: an iustitia, regina virtutum omnium, fidei & aequabilitatis patrona, nominis & laudis antecurice, verecundiae socia, magistra officij, potius antecelas. Quae, quoniam non modo in castigandis malis, verum etiam remunerandis bonis, consistit iustitia, videndum est: ne in illam quam in hanc partem magis prolabare. Quod si in alterutrum victorum eorum, quae cum hac virtute pugnant, in-

currete



currere deberes, neq; illam mediam virtutis viam, retinere posses ( nolle enim te nunquam dixerō ) non tā seuerus, quā benignus, neq; tam in congerendis, quā in bene collocandis facultatibus Reipub: diligens & attentus videri: & ( vt facis ) diligi, quā metui malis. Quod si ipsum talem nō fuisse me aliquis dicat vel sentiat, nā haud ille posteriores, quā priores cogitationes, prudentiores esse intelligit, & artem gubernandæ Reipub: esse vnam, cuius perfectam expletamq; cognitionem nemo fuerit assecutus: Tu certè debes esse is: qui & sapientibus ratione, & rudioribus exemplo, & barbaris documento, virtutem tuam probes, & in summa potestate, summa moderatione animi, prudentiaq; vtare. Propterea quod, vt apud, sic & hominum Reges debent carere aculeo, & quod non tam est regium malè meritis, quā optimè de se meritis, referre quod. debeas: & quod à parimonia, à frugalitate, & ab aliquibus virtutibus generis eiusdem, æconomi, & patres familias commendantur: Reges certè & principes, à liberalitate, à splendore & magnificentia imprimis laudantur, linguis & literis omnium celebrantur, aeternitati consecrantur: & quod deniq; nihil habet vis animi tui, sapientiùs, nihil amplitudo maius, nihil fortuna præclariùs, quā scire & velle beneficia collocare. Sed quid verbis hoc loco opus est multis? quid currentem incitare, necesse est? aut cur hæc tenuis & impolita oratio, laudibus tuis celebrandis non potius finitur & terminatur mea? O fœlicem Lituaniam patriam, Samogitiam altricem, Russiam adiutricem meam; quæ abs te non dicam Rege, sed patre, non domino, sed patrono gubernatur. Per te est ciuib; meis pax data, per te calamitas detracta, per te dignitas restituta: Tu dum es in negotio, illi fruuntur ocio: tu dum teneris difficultate, illi letantur tranquillitate & pace: tuis postremò occupationibus, laboribus & periculis, illorum rationibus, commodis & ornamentiis prouidetur. Tu quemadmodum istas diuinculissimas terras, non  
tam



tam passibus, quam cursibus, non tam hostium sternendis ca-  
 daveribus, quam occupandis arcibus superasti: ita utinam ad  
 hęc plenū fiderū & quietis locū, posteaq̃ & naturæ, & gloriæ, &  
 Reibus: satis diu vixeris, citius puoles: & sicuti imperij & insti-  
 tuti nostri fors similis fuit, ita sēpiterno auro vna fruamur. Atq̃  
 hęc qdē Rex, Vitoudus tecū. Iā vero ego eiusdē insistēs vesti-  
 gijs, te Deus Opt: Max: quem omnium regnorum condito-  
 rem, regiæ authorem amplitudinis, victoriarum & trium-  
 phorum datorem, summa fide & constantia Rex Stephanus,  
 colit semperq̃ coluit, oro & obtestor: vt quemadmodum hęc  
 Respub: tuis auspitijs creuit, sicuti ipse ad gubernacula eius, nu-  
 tu & voluntate tua puenit, ita illam integram religione ve-  
 ra, stabilitam libertate, opibus firmam, copijs auctam, ocio  
 & tranquillitate florentem, efficias. Reiverò nostro vitam quā  
 maximē diuturnam, constantem æquabilemq̃ fortunam  
 & victoriam, & deniq̃ pro hac caduca & mor-  
 tali conditione regnandi, in illo animorum  
 concilio & cœtu perpetuum & im-  
 mortale imperium largiare.

FINIS.



IN PANEGYRICVM CHRIS-  
TOPHORI VVARSEVICII,

Aemathium Cōsis, Regem dum pīngit Apelles:

Vna opera artificem clarat, itemq; ducem.

Dum tu VVarseuici, Stephani praestantia Regis:

Eloquij vena diuite, gesta refers.

Vno magna tibi, duo sunt perfecta labore:

Illustras Regis nomen, & ille tuum,